



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 59. Proditio Genevæ detecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Parens, qui nonnisi ad magna natus Sæc. XVII.
 non modo ditionem suam divitiis, ma- A. C. 1609.
 gnisque accessionibus conspicuam red-
 didit, sed etiam heroico profus ausu *Lundorp.*
 Hipponam urbem in Africa aggressus *tom. 3. l. 15.*
 eam non sine Maurorum clade depræ- *pag. 913.*
 datus est. Tandem vero hoc anno pie
 in Domino obiit, cujus tristitiæ sensum
 nonnisi Cosmi II. ejus Filii mores egre-
 gii, ac Mediceæ Domus per eum con-
 tinuata felicitas temperare poterant.
 Reliquerat Ferdinandus præter hunc
 adhuc alium Filium nomine Carolum,
 qui postea Cardinalitia dignitate incla-
 ruit.

§. LIX.

Proditio Genevæ detecta.

Sub initium Aprilis Genevæ nova pro- *Merc. av-*
 ditio est detecta, cujus præcipuus *nal. t. 6. l. 3.*
 Author erat Nobilis Terrailius, qui ob
 homicidii crimen ex Gallia profugus
 ad Alberti Archiducis vexilla transibat,
 quibus postea relictis in Italiam adscito
 sibi itineris socio Bastide percelebri Ma-
 chinario Mediolanum profectus est, ubi
 cum Comite Fontano Insubriæ Præsidi,
 necnon Sabaudix Duce consilium de in-
 tercipienda Geneva agitabat. Inde Ca-
 merium delatus, cum quondam incau-
 tius mappam, in qua Geneva exacte
 Cc 4 erat

Sæc. XVII. erat delineata, extraheret, & de ra-
 A. C. 1609. tione urbis invadendæ cum socio suo
 ageret, ab Hôspitii famulo ad portæ
 rimam ausculante proditur. Hic ergo
 per fratrem suum Genevæ commoran-
 tem hujus Urbis Magistratum de tota
 rei ferie edocet; unde Genevenses jam
 antea de periculo a Galliarum Rege ad-
 moniti, constitutis ubique exploratori-
 bus præcipue Bernates de proximo ut-
 riusque adventu certiores faciunt. Jam-
 jam Terrailius & Bastides proditi-
 onis detectæ ignari, Lacum Lemanum ferme
 omnem trajecerant, cunctaque loca Ge-
 nevæ vicina, magisque insidiis oppor-
 tuna lustraverant, cum in pago quo-
 dam, quem Vittebuffum vocant, com-
 prehensi die decima quarta Aprilis Ge-
 nevam deducerentur. Terrailius pri-
 mum amice interrogatus, omnia perne-
 gabat, se ipsum omnibus diris devovens,
 si quicumque contra Urbem machinatus
 esset, postea vero tormentis ante ocu-
 los positus territus, ultro cuncta, quo-
 rum erat conscius, fatebatur, Bastides
 vero, cum se innoxium diceret, quæ-
 stioni subjectus, tormenta initio perter-
 rite sustinuit, eorum tamen acerbitate
 victus rem fassus est. Ergo ambo ca-
 pitis damnantur, Terrailii tamen no-
 bilissimo generi datum, ut gladio per-
 cuteretur, qua sententia die decima
 nona

nona ejusdem Mensis executioni data Sæc. XVII.
 Bastides die vigesima prima Aprilis la- A. C. 1609.
 queo suffocatus periit, nil magis sibi
 dolendum fassus, quam quod dolore
 expugnatus Terrailium prodidisset.

§. LX.

*Christiana res Constantinopoli & in
 Perside audita.*

Hoc anno Catholicis Constantinopoli Juven. hist.
 agentibus Achmetes Ottomanici Soc. lib. 17.
 Regni Imperator sese magis benevolum part. 5.
 reddebat; cum enim Henricus IV. Gal- pag. 423.
 liarum Rex, qui se tutandæ fidei Ca- Bissel. Med.
 tholicæ totum dederat, per Salignia- Hist. Septen.
 cum, suum apud Aulam Turcicam Le- Il. pag. 67.
 gatum, pro Viris Apostolicis Constan- Annal. Car-
 tinopolin mittendis impense sollicitaret, mel. t. 2. l. 3.
 tandem rem eo prospere deduxit, ut
 Imperator amplissimam ejusmodi facul-
 tatem concederet: Postquam vero ibi-
 dem innotuerat, Jesuitas eo a Rege
 esse decernendos, mox non pauci in-
 surgebant æmuli, qui primario Impe-
 ratoris Turcici Præfecto, quem Vezi-
 rium vocant, insufflarent, hos Patres
 nonnisi exploratores a Papa missos esse,
 exitiale hominum genus, omnibus in-
 visum atque infestum. Insuper Angli
 horum adventum præpedire totis cona-
 bantur viribus, indignatione adversus
 eos